



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Secundum fidem nostram in contradictionibus singularibus de futuro
contingenti, altera pars distincte vera est, altera falsa est. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Caiet.

etiam huic sententiæ Caiet. In hunc art. §. Aut obli-
gationes, cum asserit futura ut in causis omnino indiffe-
rentibus ad utrumvis non posse cognosci, etiam à
Deo: quia nec actu, nec potentia sunt entia potius,
quam opposita, & in eam opinionem nonnulli ex
recentioribus inclinare videntur.

Prior illarum
ratio.

Probari autem potest rationibus, Primum fu-
turum liberum ideo dicitur contingens, quia ad
utramque partem indifferens est: si enim ad vnam
esset determinatum, non esset contingens, neque
liberum: nam idem videtur esse liberum, seu con-
tingens, & indifferens, æque se habens ad esse, &
non esse, ad fore & non fore: si autem altera pars
contradictionis est vera, iam res est determinata
ad eam partem ergo non est indifferens, nec libera.

Posterior ra-
tio.

Deinde si hæc pars contradictionis est vera &
illa falsa: ergo necessario res eveniet, ac proinde
frustra est consultatio de futuris. Porto ex deter-
minata veritate sequi necessitatem, probat latissi-
me Arist. eo loco nam si hæc pars Petrus peccabit, est
vera: ergo eadem semper fuit vera: parum enim
refert, si quis eam dixerit ante annum, vel ante
mille annos, & sic in infinitum: imo vero parum
refert, quod quis eam dixerit, aut nullus dixerit,
quia propositio non est vera ex eo, quod dicatur,

7

sed ex eo quod res est, vel non est secundum tem-
poris differentias, quod autem semper est verum,
non potest non esse verum: neque enim est tem-
pus, quando possit non esse verum: ergo necessario
est verum, & ita res necessario eveniet: quod si
necessario eveniunt, tollitur omnis consultatio, ut
patet: id quod vel ipsa æterna veritas demonstrat.
Nam si ab æterno verum est, illud sic fore, quid
proderit consultatio, ut non sit? frustra igitur illa
adhibetur. Ex quibus illud ultimo videtur sequi,
quod dicebat Aureolus, videlicet Deum de futuris
nihil aliud scire, quam fore, aut non fore distin-
ctum, & confusum, nullam autem illius partem di-
stincte.

Aureol.

CAPVT II.

Secundum fidem nostram in contradictionibus singu-
laribus de futuro contingenti altera pars di-
stincte vera est, altera falsa.

Scholasticorum
auctoritas contra
Arist.

Communis Scholasticorum consensus contra
Arist. docet in his contradictionibus singula-
ribus de futuro contingenti, alteram distinte esse
ab æterno veram & alteram falsam ex eo, quod res
ipsa aut futura est, aut futura non est. Sic tradunt
Richard. Capreol. & Maior locis cap. i. citatis, Bonau. in i. d.
3. a. q. 1. ad 2. Gabr. q. 1. art. 1. not. 7. Okam q. 1. ad 1. prin-
cipale, Greg. q. 1. a. 1. Scotus in i. d. 3. q. 1. §. V. de contin-
gentia, & §. Ad argumenta principalia, Mar. in i. q. 4. o. ad
3. principale, Holcot in 2. q. 2. art. 7. Domi. Scotus in 6. 9. ep.
ad Rom. p. circa finem, Cor. dub. lib. 1. q. 55. dubit. 2. quam
sententiam non solum iuxta Philosophicam ratio-
nem puriorem, sed etiam secundum rectam
fidem necessario asserendam ut rationibus ex fidei
nostræ principijs desumptis in hoc cap. monstra-
bimus.

8

Testimonia
sanctorum
Patrum in-
dicantur.

Ex Patribus vero hoc ipsum docuerunt primum
omnes disp. 68. citandi, qui asserunt, ideo Deum
præscire futura, quia illa rei ipsa futura sunt, non con-
tra: nam si Dei scientia, quam de futuris habet, (ut
statim deducemus) æterna est, necesse est simul ab
æterno rem ipsam futuram esse. Quod si ideo res à
Deo cognoscitur, quia futura est, sequitur res ab
æterno ex suis causis fuisse futuram, non ex scientia

Dei ac proinde enunciationem de futuro ex se ve-
ritatem habere. Præterea Ansel. in opusculo de concor-
dia præscientiæ prædest. & lib. arbit. c. 1. mea quidem sen-
tentia, ex professo contra Arist. disputat, quod ille
ex veritate propositionum de futuro inferret neces-
sarietatem in rebus: & luculenter ostendit Dei sci-
entiam certissimam esse, & res futuras ab æterno
esse futuras, aliquamque inde consequi necessita-
tem, quam sequenti disp. explicabimus: ex illa ta-
men nihil adimi libertatis nostræ voluntati Arist.
autem, cum ex veritate inferret necessitatem, ne-
scivit cum ea libertatem arbitrij conciliare: ac pro-
inde, ut libertatem assereret, propositionibus de
futuro veritatem abstulit, ea vero ablata, scientia
de futuris, etiam ipsius Dei, de medio tolli necesse
est, ut mox inferemus.

Probat igitur primo Theologica ratione al-
teram propositionem de futuro contingenti di-
stincte, & determinate esse veram, alteram vero
contradictoriam esse falsam. Nam, ut ipse Arist.
concedit in illo 8. capite, si propositio de futuro
esset vera, qui illam enunciaret ante annum, vel
ante mille annos, vel quovis tempore, verum di-
ceret: ergo è contrario si aliquis enunciaret propo-
sitionem de futuro dicit verum, necessario conse-
quitur, ipsam propositionem esse veram, & futu-
rum illud vere esse futurum: nam si æque esset in-
determinatum ad fore, & non fore & propositio
nec esset vera, nec falsa distinte: sed vera, vel falsa
confuse, si queritur, eum qui propositionem il-
lam proferret, nec dicitur verum, nec falsum:
sed verum, aut falsum, imo ut sequenti cap. dice-
mus, qui ass. retet distinte alteram partem, sem-
per diceret falsum: atqui propositiones de futuro
contingenti vere prædicantur à Prophetis, &
à Deo, talemque prædictionem dicimus esse di-
stincte, & determinate veram: ergo signum est,
propositionem ipsam distinte & determinate ef-
se veram. Idem argumentum fieri potest de scientia:
nam si aliqua scientia futurorum est vera, sequitur
ipsa futura, quæ sciuntur, vere esse futura, atque
enunciationem de illis veram esse: scientia autem
Prophetarum, & Dei, quam de futuris habent, est
vera, ergo ipsa futura vere futura sunt, & enuncia-
tio de illis vera erit.

Respondet Cathari. in illo opusculo, quem re-
centiores nonnulli sequuntur, propositionem qui-
dem de futuro esse veram quatenus reuelata est à
Deo. vel ab eo scita, eo quod habeat eam Deus in
sua æternitate præsentem, si vero referatur ad cau-
sam, ex qua futura res est, alteram partem contra-
dictionis distinte non esse veram, sed veram aut
falsam. Verum quam parvi momenti sit hæc solu-
tio, subinde demonstro, primum, si eo ipso, quod
Deus scit vere, aut vere prænuñciat rem aliquam
esse futuram, sequitur eam esse præsentem in æter-
nitate, ut à Deo certo, & determinate sciatur sic
etiam, ut ea res sit vere futura. Nam quo pacto de-
terminate potest esse præsens Deo, aut præsentia
reali, aut etiam vera præsentia obiectiva, si ipsa
nondum determinate, & vere futura est? Tum et-
iam, fieri nequit, quin illud, quod Deus novit in
tempore futurum, non sit futurum, siue illud fore
proveniat à scientia Dei, aut voluntate eius, siue
etiam à causa creata, nam optime sequitur aliquis
intellectus vere novit, rem esse futuram, ergo res
illa futura est, vnde cumque igitur illud futurum
sit, propositio ipsam enunciatis distinte, & deter-
minate,

Primarii
Theologia
tenent
sententiam Arist.
9Cathari.
Respondet.TO
Infinitum
p. 100.

Secundi.

Terti.

minate, vera erit. Ad hæc, cum voces substituantur in locum intellectuum, & conceptuum, si aliqua scientia futurorum vera est proposito enuncians illa futura, vera erit; ut si Propheta, vel Deus, qui futura novit, ea vere scit, vere etiam prænunciat, & cum veritate simpliciter affirmare potest. Quocirca si Arist. crederet, esse aliquam scientiam veram de futuris, siue ipsius Dei, siue ab ipso Prophetis reuelatam, qua ratione negaret propositionibus de futuro veritatem?

Quare mihi persuasum habeo Arist. sicut etiam Ciceronem, ut libertatem arbitrij defenderet; veritatem ac proinde omnem scientiam illarum negasse. Nam si scientia vera eorum esse potest, veritas etiam in rebus esse debet: & contra, si veritas in ipsis est, scientia aliqua esse potest: quod si nulla in eis est veritas, nec aliqua scientia, etiam diuina eorum erit: ideo dixerim, Arist. tacite denegasse Deo certam scientiam futurorum, cum veritatem etiam futurorum negauerit. Id quod mihi fit magis probabile, quia ex sententia aliquorum Patrum vix aliquibus ipsius Arist. locis deducemus, infra disput. 87. plane etiam negauit Deo providentiam rerum omnium singularem: & propter hanc rationem existimauerim, sententiam Arist. ut à nobis explicata est, verè fidei aduersari quod ex ea scientia futurorum de medio tollatur.

Secundo ex ipso Arist. habemus, nihil omnino referre, ut propositio aliqua de futuro sit vera, si illa enuncietur ab aliquo, vel non: atque eadem ratione dicere debet nihil etiam interesse, si res illa sciatur esse futura, vel non dummodo res ipsa futura sit: reddit rationem his verbis: *Non enim quia affirmatio dicta est, vel negatio, ideo res erit, vel non erit: ac si dicat, non ex eo propositio est vera, vel res vere futura est, quia dicitur esse futura: adde etiam, aut quia scitur; sed potius contra, ideo vere dicitur, & vere scitur esse futura, quia vere futura est, ab eo enim quod res est, vel non est, propositio, imo etiam scientia est vera, vel falsa. Atque hoc ipsum ratio manifeste docet: neque enim res ideo futura est, quia intelligitur, aut dicitur esse futura sed ex suis causis habet, quod sit futura.*

Tertio, etiam si demus Thomistis, res futuras, ab æterno esse præsentis æternitati, & ideo à Deo certo cognoscis; nihilominus fit, ut futura determinate sint futura, & propositiones de futuro sint determinate veræ, aut determinate falsæ. Nā si res futurae sunt præsentis in æternitate, & determinate præsentis, ut cognoscantur, consequitur inde, easdem esse futuras: imo prius esse futuras, quam præsentis: neque enim ex eo, quod res sunt præsentis æternitati sunt futura in tempore: sed potius contra, quia sunt in tempore suo futura, sunt etiam præsentis æternitati: iam igitur res ex sua causa, futura erat, ut æternitati præsens esse posset. Quod si ex sua causa res considerata, nec futura erat distincte, nec non futura, sed futura, vel non futura confuse; fit, ut nihil aliud potuerit esse Deo præsens in æternitate, aut etiam obiectum in suo intellectu, quam illud complexum sub distinctione. *Erit, vel non erit*: res enim sicut in se sunt, eo modo Deo obijciuntur, nec ex eo, quod obijciuntur, tales sunt: sed potius contra. Ex quo etiam inferitur id, quod dixi Aure. nempe Deum non nosse, Antichristum fore; sed fore vel non fore, esse manifeste contra fidem: nam ut bene notauit Boeth. de consolatione prola. 2. *Si nulla alia in Deo, quam hæc est* Vaquez. in 1. part. Tomus I.

sei præscientia, quam dici posset præscientia? aut quo differret præscientia Dei ab illo ridiculo oraculo Tighe apud Horatium lib. 2. sermo. 1. Quicquid dicam, aut erit, aut non erit? quid etiam diuina providentia humana opinione præstiterit si vii homines incerta indicat?

CAP. III.

Ratione Philosophica eadem veritas probatur.

Præter rationes, quas præcedenti c. formauimus, quæ licet ex principiis naturalibus depromptæ sint, ad absurda tamen contra fidem aduersarios deducunt, sunt etiam aliæ rationes, faciliores quidem, & naturales, & ex ipsiusmet Arist. doctrina desumptæ, quibus eadem nostra sententia confirmatur.

Prima est, qua vititur Gregor. loco allegato, quoniam Arist. 4. metaph. text. 27. docet, quemcumque affirmantem, & negantem dicere verum, aut mentiri, hoc est, aut dicere falsum, & ratio ipsa id aperte docet. Nam cum falsum sit id, quod est dissonum rei, verum autem quod est conforme, fieri nequit, ut id, quod dicitur, non sit aut conforme aut dissonum distincte, & determinate rei, quam enunciamus, ergo erit aut falsum, aut verum etiam determinate, & non solum verum aut falsum confuse, ut ait ipse Arist. in lib. de interp. cap. 3. oportet igitur in propositionibus de futuro alteram esse veram, alteram vero contradictoriam, esse falsam. Accedit quod ut ait Greg. non videtur quo pacto inter contradictoria possit esse aliquod medium, ergo inter fore & non fore, non est medium aliquod, quod si esset, dicend. rem fore, non recte contradiceretur dicendo non fore, quia non negaretur totum, quod ipse assereret, si est aliquod medium extra asseritionem, & negationem.

Sed exemplo rem illustremus, si aliquis dicat, *Petrus cras peccabit*, secundum sententiam Arist. non dicit verum, neque falsum distincte, sed verum, vel falsum: quia indifferens est res, ut sit vel non sit, similiter si dicat alius, *Petrus cras non peccabit*, non dicit verum, neque falsum, sed verum vel falsum, ergo vnus non negat totum, quod alius affirmavit, sed vtriusque enunciatio quasi suspensa, & anceps manet, quousque enim vnus verum dicat & alius falsum, vnus alteri non contradicit, cumque enunciatio futuri semper sit indifferens ad verum & falsum, nunquam poterit esse alterius contradictoria, ergo sola contradictio in rebus futuris hoc modo esse potest: *Erit, aut non erit: neque erit, neque non erit*, quarum prior est vera, quia necessaria, posterior vero falsa, quia impossibilis.

Secunda ratio, si nihil est determinate futurum sed quælibet res anceps est ad fore & non fore, sequitur eum qui absolute, & sine distinctione affirmat aliquid fore, dicere falsum distincte, & determinate: asserere enim aliquid fore, quod re ipsa indifferens est, ut sit, vel non sit, nec magis futurum est, quam non futurum, falsum est ab eo enim quod res est, vel non est, enunciatio vera, aut falsa iudicari debet, & quoties aliter res enuntiat fore, quam futura est, falso enunciat, ergo si enunciat distincte fore, quod non est distincte futurum, sed confuse futurum, aut non futurum, sequitur, est, falsum, ac proinde omnem propositionem de futuro affirmantem distincte & determinate falsam esse, iam igitur in contradictionibus de futuro altera est falsa, ac proinde omnis enunciatio negans debet esse distincte, & determinate vera: